

Joachim Jungclaus

**Joachimi Jungclaus Rostochiensis Megapolitani, J. U. Doctoris. Decisio Seu Iuris Conclusio : De Illustri Et In Praxi quotidie occurrente Quaestione: Utrum a puncto Spolii, & Spolii attentati appellare liceat, et, si appellatum sit, an Appellatio a Judice Appellationis ad latiores processus sit admittenda, Contra Senatum Et Syndicum Gustrovianos In propria sua causa conscripta & concinnata ...**

Rostochii: Praelo Reusnerianus, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73047710X>

Druck Freier  Zugang





mk

9325



AK-9325.  
~~AK-1509.~~



JOACHIMI JUNGCLAUS  
Rostochiensis Megapolitani,  
J. U. Doctoris.

# DECISIO SEU JURIS CONCLUSIO.

DE ILLUSTRIS ET IN PRA-  
xi quotidie occurrente *Questione*: Utrum  
à puncto Spolij, & Spolij attentari appellare lice-  
at, & si appellatum sit, an Appellatio à Judice  
Appellationis ad latiores processus sit  
admittenda.

Contra  
SENATUM ET SINDICUM  
GUSTROVIANOS

In propriâ suâ causâ conscripta &  
concinnata,

Simulq; aliquot celeberrimarum Academiarum & præ-  
stantium Juriconsultorû Censuris & subscriptionibus.  
Item in hoc puncto actis judicialibus integris adjunctis

ROSTOCHII

Prælo Reusneriano. Anno 1609.






Sacri Romani Imperii  
judicii augustissimo  
Senatui

REVERENDISSIMO  
PRINCIPI, ILLUSTRIBUS, GENERO-  
sis, Nobilissimis, Magnificis, Amplissimis  
& Clarissimis Viris  
Domino

JUDICI,  
PRAESIDIBUS,  
ADSESSORIBUS




*Dominis, Patronis, & Fautoribus Clementissimo,  
Clementibus, & summâ animi obser-  
vantia honorandis.*

Salutem à salutis fonte  
exoptat.

*Amplif.*





**A**MPLISSIMUM ET  
saluberrimum Appellatio-  
nis beneficium & reme-  
dium, Reverendissime  
Princeps, Illustres, Gene-  
rosi, Nobilissimi, Magni-  
fici, Amplissimi, & Clarif-  
simi viri, uti Innocenti-  
us III. in concilio gene-  
rali statuit, non ad defensionem iniquitatis, sed  
ad innocentiae praesidium institutum esse, atque  
uti Alexander III. Abbati S. Petri rescribit, non  
ideo adinventum esse, ut alicui in sua injustitia  
patrocinium exhibere debeat aliquod, tam no-  
tum & cognitum, quam notissimum & cognitif-  
simum est, aut certe esse debet omnibus & sin-  
gulis.

Verum, ut in corrupto hoc nostro aetatis secu-  
lo solet, omnibus his longè sepositis, inveniuntur  
hodiè multi, qui veritate & equitate posthabitâ, ad  
provocandi potius remediũ, injustitiae quasi illud  
fit asylum, convolare, quam sententiae, juxta le-

A 2

gum &



gum & rationis normam, formam, & trutinam  
lata, parere malint, longè procul & quasi post ter-  
gum rejecto illo, quod Appellatio, ut Rebuffus  
ait, adinventata, & in iudicium exoptata & ado-  
ptata sit ideo, ut oppressorum præsidium,  
minimè verò ad litigationis libidinem malignan-  
tibus possit esse occasio: Quamvis, si maximè ve-  
lint, ignorare illud neq; possint neq; debeant,  
quod in illos, qui citra gravamen probabile à sen-  
tentia benè lata temerè appellare, & iudicia fati-  
gare gestiunt, tam de jure civili quam Canonico  
gravissimè animadvertatur, uti videre est ex l. eos.  
6. §. ne temere. 4. §. l. à Proconsulibus. 19. C. de ap-  
pellat. l. 5. in fin. C. quor. appellat. non recip. c. repre-  
hensibilis 16. Extr. de Appellat. Et pro summo Im-  
perii Tribunali temerarius litigator, ultra expen-  
sas, etiam procuratori fisci in aliquot auri puri vel  
argenti marcas, uti ex Andr. Gail. obs. 152. num. 8.  
videre est, soleat condemnari.

Illorum in numerum justo suo merito in præ-  
senti causa & casu si referantur quoq; mei Antago-  
nistæ, absq; omni probabili causa mihi, quamvis  
injustè & iniquè, obsistentes, qui non modo à pun-  
cto spolii, & spolii temerè attentati, temerè quoq;  
appellarunt, verum etiã per sub&obreptionē pro-  
cessus extraxere, quisnam benè sanus ambigat?  
Et sanè, cum ex hoc præsertim capite, quod con-  
tra pa-



era pacta & transactiones, uti prætendunt illi, fuerit iudicatum, processus primum obtinuerunt; pacta autem illa & transactiones in rerum non sint natura, nec unquam fuerunt, vel erunt: Contrarium verò, nimirum quod non cives solum, verum etiam incolæ, ratione suarum ædium usum fructum sylvæ Primerianæ, uti hic nomen ejus est, per plurimos annos in hoc oppido perceperint, & in hodiernum usq; diem percipiant, verum sit, & notorium, aliter, quam Appellationem hanc frivole & injuste interpositam esse, & injustitiâ illâ detectâ, temerarios hosce Appellantes ad processus latiores non esse admittendos, adhuc concludere & judicare ego haud unquam potero.

Ne dicam illud, quod Appellantium de pactis & prætensis transactionibus cavillum ad iudicium petitorium pertineat, exindeq; perpetrati spoliij & spoliij attentati restitutionem & revocationem nullo modo nullave ratione, etiamsi pacta & transactiones adessent evidentissimè, impedire possit.

Imò, cum in jure nostro scripto, quo utimur discussum & decisum sit præclarissimè, quod nemo in propria sua causa judicare, sibi ipsi jus dicere, aliumve per se, facto suo proprio, & via quadam excursionis, in possessione turbare, sed omnino coram iudice competente, viâ saltem juris or-



dinariâ id petere & consequi debeat. Insuper etiam ex actis judicialibus sit notorium, quod sententiâ à quâ Antagonistâ mei appellarunt, die 20. Julij Anni 1607. fuerit lata, & 25. ejusdem ab illâ appellatum. Elapsis autem quinque fermè mensibus appellationem demum non solum in hoc spolijs, & spolijs attentati puncto introduxerint, verum etiam 9 Octob. die, ejusdem anni ad iudicem à quo redierint, comparuerint, & exceptiones nullitatis hoc ipso in puncto, ad sententiam benè latam impugnandam, exhibuerint, utique aliud dici non potest, quam appellationem ipso jure non subsistere, & si sustineri aliàs posset, appellantes tamen motu prorsus voluntario & spontaneo, teste *Lancellot. de attentat. part. 2. c. 12. in præfat. num. 3. 4. & 5.* illi renunciassent; & præterea, *Ordinat. Cam. part. 2. tit. 8. §. 9. & 10.* hoc docente, & præcisè in causis spolijs statuente, jam dudum pro desertâ esse habendam.

Cum itaq; ex his, & quæ in conclusione meâ, aliquot Academiarum, & præstantium Jureconsultorum censuris & subscriptionibus approbatâ, latius deduxi, abundè appareat, quod præsens hæc appellatio, tanquam per veri suppressionem & falsi suggestionem, contra juris ordinem & Cameræ Imperialis ordinationem interposita, ad  
latiores



latiores processus nec possit, nec debeat admitti,  
Cels. Generos. Magnif. & Amplit. V. V. V. illā ipsā,  
non quidem in hac causā favoris alicujus captan-  
di gratia, vel quod quicquam de celeri hujus ne-  
gotii expeditione addubitem, aut dubitare pos-  
sim, sed potius propter meipsum, & meos, qui  
in uno cum Adversariis meis habitem oppido,  
& pacem magis, quam discordias, quæq; inde con-  
sequi soleant, hactenus quæsierim, & adhuc me-  
dio hoc quæram, debita animi submissione &  
reverentia judicialiter exhibeo & offero, simulq;  
humillimè & observanter precor & oro, illam,  
litis hujus diminuendæ gratia, & ad compescen-  
dam sine omni sole & sale provocandi libidinem,  
haud gravatim perlegere, cum actis ponderare,  
& si juri & æquitati, quod spero & confido, fue-  
rit adinventæ consentanea, hanc litem, & mihi  
meo immerito motam controversiam, clemen-  
ter & benignè, per sententiam definitivam quam  
primum terminare, meq; clementiæ, authorita-  
tis, ac benevolentia vestræ præsidio defendere,  
eoq; benigne prosequi ne dedignentur.

JEHOVAH, DEUS ille ter. opt. Max.  
Celsit. Generos. Excellent. Magnif. & Amplit.  
V. V. V. vestrumq; augustissimum Collegium  
ad nominis sui gloriam, totius sacri Romani Impe-  
rii sa-



rij salutem & tranquillitatem quàm diutissimè  
conserveret, & ab omni malo tueatur. Gustrovii  
II. Maji. Anni nati Christi 1609.

*Rever. Celsit. Generosit.  
Excellent. & Magni-  
fic. V.V.V.*

Humillimè, devotè, &  
observanter colens.

*Jochimus Jungclaus D.*



In





**I**N *Causa spolii*, vertente inter *Me A-*  
*ctorem*, ex una, & *Senatum Gustrovi-*  
*anum Reos*, ex altera partibus, *Proto-*  
*collum*, & *Acta judicialia testatum*,  
faciunt, quod Ego 9. Octobr. Anno  
1605. judicialiter in specie, in hac  
*Causa Spolii Implorationem nobilis officii judicis*,  
pro revocandis attentatis, juncta petitione, instru-  
mento, sententia & mandatis, sub num. 1. 2. 3. 4.  
& 5. exhibuerim.

Reos verò 13. Jan. Anno 1606. *eine wolge-*  
*gründete Ablehnung der eingebrachten implorati-*  
*on nobilis officii judicis*, *sampt angehabster noth-*  
*wendiger Bitte*/sub num. 6. produxisse.

Et quamvis 20. Julii Anno 1607. hæc contro-  
versia per sententiam definitivam, justam & legibus  
conformem, fuit terminata, docente hoc sententiâ  
infra sub num. 7. annexâ. Rei tamen ab illa subse-  
quente 25. Julii ad *Cameram Imperialem* appella-  
runt, & instrumentum appellationis 10. Decembr.  
demum judicialiter in *Camera* produxerunt.  
num. 8. Interim autem 9. Octobr. anni 1607. ejus-  
dem, coram *judice à quo Exceptiones nullitatis*, jun-  
cta petitione exhibuerunt, sub num. 9. Ego verò  
subsequente anno 1608. 23. Januarii instrumentum  
& protestationem sub num. 10. & 11. judicialiter  
exhibui.

B

Cum



Cum autem rei & appellantes in Camera Imperiali processus obtinuerent, quæritur: Utrum appellatio à reis ad summum Imperii Tribunal interposita, jure subsistere, & ad latiores præjudiciales & periculosos processus in Camera Imperiali admitti possit.

Rei in dictis suis exceptionibus nullitatis Gustrovii 9. Octobr. Anno 1607. judicialiter exhibitis, Et instrumento Appellationis, Spiræ 10. Decemb. eodem anno producto, septem adducunt rationes, quibus ostendere conantur, se licito & debito modo ad Camera Imperialem appellasse.

Primam rationem hanc posuere: Quod mandata pœnalia, contra reos impetrata & confirmata, nihil rei cum sylva, quæ appellatur *Primer* habeant, illamque ne latissima etiam interpretatione comprehendere possint, utpote quòd mandata illa solummodò pro libera emptione alimentorum sint impetrata & data.

Ex quo pro secundo necessario sequi ajunt: cum sententia in puncto *des Primer Doltzes* sese ad falsam causam referat, quod ipso jure nulla sit. Testibus enim *Marantb. de ordin. judic. in 2. part. 6. part. 18. Vantio de nullit. sentent. ex defect. process. num. 128. & seqq. & Schurff. cons. 93. num. 2. cent. 1. illa est sententia nulla, in qua expressa sunt, quæ relata ad acta falsa inveniuntur. Dd. not. ad l. 1. § 1. ff. quæ sentent. sine appellat. Abb. & Dd. in c. inter cæteras, & in c. sicut. extr. de re judic.*

Tertiam



Tertiam rationem in quibusdam fundant contractibus, seu transactionibus, quibus contineri ajunt, quod utilitas, commodum, & perceptio des Primer Holtzes / solummodò civibus illis, welche die Bürger-schafft gewonnen / vnd den Bürger / Eydt abgeleget / competat. Incola verò ab illius perceptione prorsus arceatur.

Et si nihilominus, actor ex clausula in sententia posita, ad commodum & fruitionem sylvæ Primerianæ admitteretur; putant rei Quartò, transactiones & pacta in universum annullari & concidere, quod fieri non debeat: Cum fidei humanæ nihil tam sit congruum, quàm ea, quæ semel placuerunt, sanctè servare. *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de constit. pec.* Maximè quando juri & bonis moribus non sunt contraria. *l. juris gentium. § air Prætor. l. si unus. §. pacta quæ turpem. ff. de pact.*

Quintò autumant; Malam & perniciosam consequentiam, quæ toti civitati irrecuperabile induceret damnum, eventuram, si contra inveteratam consuetudinem, & initas transactiones Mihi daretur licentia utendi fruendi prædictæ sylvæ, utpotè, quod concessio illo, & Nobiles necessario ad commodum & perceptionem sæpè dictæ sylvæ venirent admittendi.

Sextam hanc adferunt rationem, quod Doctores & Professores Juridicæ facultatis Marpurgen-sis sententiæ hujus concinnatores conditionem & statum sylvæ Primerianæ ob nimiam locorum distantiam ignoraverint.



Ultimam & septimam suam rationem hanc dicunt: Quod Nobiles in civitate Gustrovii habitantes, nisi iuramentum civium præstiterint, ad usumfructum sylvæ hujus non admittantur, & cum Actor se compareat cum nobilibus, illorumque privilegiis utatur fruatur, sequetur etiam, illum ab usufructu Primerianæ sylvæ penitus esse arcendum.

QUAMVIS autem prima, tertia, & quarta ratio primo intuitu aliquid ponderis in se habere, illis præfertim, quibus totum hoc negotium adhuc est incognitum, videri possit: Attamen causæ hujus præsentis circumstantiis aliquantò pressius & diligentius examinatis & consideratis, in contrariam potius concedendam sententiam existimo, scilicet prorsus frivole hanc à reis appellationem esse interpositam, & in Camera Imperiali ad processum latiore non esse admittendam, cum difficile sit, ut bonum nanciscantur exitum, quæ malo sunt inchoata principio, *c. cum paulus. 26. caus. 1. quest. 1.*

Et quidem PRIMO ex actis abundè constat, & à Reis non potuit, nec adhuc negari potest: Usumfructum sylvæ Primerianæ propriè loquendo non personis, sed ædibus esse assignatum.

Nam cum ante aliquot annos Illustriss. Principes Megapolitani, piæ & sanctæ recordationis, prædictam sylvam certis & justis de causis occupaverant, & tandem ad instantissimas preces tam Senatus quàm Civium Gustroviensium, certis tamen conditionibus, uti hoc sub lit. A. abundè apparet, & pro certa pecuniæ summa illis esset restituenda, pro redimenda illa Senatus civibus collectam indixit, hoc modo



modo & conditione. Quod omnibus incolis, illorumque successoribus, & pro tempore inhabitantibus, ex quorum ædibus nummus uncialis argenteus, pro sylvæ redemptione contribueretur, commodum, utilitas, & illius sylvæ ususfructus, in repensam perpetuam sit adscriptus & assignatus, quemadmodum hoc per documenta sub num. 10. apposita probatur.

Sub numero illarum ædium Thalerum conferentium, etiam fuere ædes, quas Ego à Davide Probst/ cive quondam Gustavoviensium emi, & adhuc possideo, & cum illarum ratione prædictus venditor David Probst/ illiusque pater commodum & ususfructum Sylvæ quotannis, sine ulla contradictione perceperint, & per justam venditionem in me transfererint, Egoque etiam primis duobus annis ususfructum illius sylvæ quietè, & sine ulla Senatus contradictione petceperim, possessionemque ususfructus, commodi, & omnis utilitatis illius, sciente & non contradicente Senatu sim consecutus.

In qua justissima possessione nec potui, nec debui à reis turbari, multò minùs commodo illius sine causæ cognitione spoliari. *Pruckm. in terminis conf. 36. num. 1. in fin.* Juris enim est clari & manifesti: quod successor quivis jure, libertate, & privilegiis sui auctoris utatur. *l. ex qua persona. l. heredem. l. aliud 160. l. in his 185. § 1. & ibi Dd. ff. de Reg. Jur. l. 2. l. 3. l. fin. C. de his qui in prior. cred. loc. succed. l. 2. Cod. de rei vendicat.*

Et firma sit conclusio: Quod successor non minus libertatem suam continuasse dicatur, quàm antecessor



cessor ejus fecerat. *Bart. in l. si duo. in princ. num. 4. ff. ut ipso sid. Natta conf. 572. num. 1. Cephal. conf. 289. num. 57.*

Quemadmodum itaque usufructum, utilitatem, & omne commodum memoris Primeriani Martinus, & post illum illius filius David Probst liberè, & sine contradictione quietè possederunt: Ita quoque simili modo illam ipsam possessionem liberam à me continuatam esse, non solum firma stat præsumptio. *Bellon conf. 11. num. 4. Ripa in c. cum Ecclesia num. 25. vers. ex istis colligo Extr. de caus. possess. & propr. Benincend. decis. 42. num. 4. part. 1. Verum etiam modò dicta instrumenta, sub num. 10. annexa, abundè testatum faciunt. Cum per instrumentum publicum plena fides & probatio fiat. *Bart. in l. admonendi. num. 30. in fin. Fas. ibid. lect. 1. num. 84. & lect. 2. num. 145. & seqq. Schrad. ibid. num. 275. Coras. part. 2. num. 5. & seqq. ff. de jurejur. Tiraquell. de utroque retract. part. 1. § 4. gloss. 1. num. 10. per l. cum precibus. C. de probat.**

SECUNDO, postquam certum, & sine omni contradictione verum sit, Me in possessione quietà & optimo titulo munita usufructus sylvæ Primerianæ fuisse, illiusque commodum non secus, ac alii Incolæ per totum biennium percepisse, insuper etiam primarius Consul Gustavoviensium Jürgen Schutte/ à partibus meis in emendis ædibus steterit, & suo sigillo & manns subscriptione emptionis contractum ratificaverit, uti hoc literæ emptionis & venditionis ostendunt, in quibus mihi ædes, cum omnibus pertinentiis, utilitatibus, & commodis sunt venditæ,



ditæ, utiq̃ue eò justior & firmior hæc est possessio,  
quam primarius Consul suo assensu ratificavit. *l.*  
*justè possidet. ff. de acquir. poss. Apost. ad Rubenum in l. natu-*  
*raliter. §. nihil commune. num. 159. ff. de acquir. poss. Af-*  
*flict. decis. 361. num. 12. Oldrad. conf. 109.* Eoq̃; minus  
mea quæta & justa possessione sine causæ cognitio-  
ne debuissẽ spoliari.

TERTIO cum exactis non solum abundè constet,  
quod fuerim in possessione ususfructus memoris  
Primeriani, verum etiam ex reorum judiciali con-  
fessione luculenter appareat, quod à Reis fuerim  
dejectus.

Sic enim primus ait testis, Joachim Kock:  
Dasz dem Derrn D. Jungclaus kein Primer Doltz  
gleich andern gefolget worden/ sey auß des Rahts  
Verbot geschehen.

Et Rei ipsi 13. Januar. Anno 1605. in exce-  
ptionibus seu refutatione Implorationis judicialiter  
exhibita, hisce verbis dejectionem & spoliũ pa-  
lam fatentur, Dann dieser Klagepunct/ so dahero  
rühret/ dasz ihme das Primer Doltz nicht gefol-  
get/ mag nicht als ein attentatum oder spoliũ an-  
gezogen/ vñd deszhalben vmb restitution gebeten  
werden. Ulteriori sanè probatione opus non  
fuit, utpotè quod confessio judicialis sit loco pro-  
bationis sufficientis, & notorium inducat. *Vult. conf.*  
*15. vol. 1. inter consil. Marpurg.*

Et hoc eò magis, cum hæc confessio sit facta in  
scriptis judicialiter, quæ omnes alias probationes su-  
perat. *Ernestus Cothm. Præceptor & amicus meus honorandus*  
*conf.*



conf. 1. num. 279. Sixtin. conf. 11. num. 35. & 38. volum. 10  
inter consil. Marpurg. & revocari omninò non possit.  
Fas. in l. error. C. de non numerat. pec. Bursat. conf. 119. n.  
18. vol. 1.

Exindeque alia sententia, quam condemnatoria  
nec potuit, nec debuit tam evidentem probationem  
confessionatam & notoriam consequi, uti etiam  
consecuta est.

Juris siquidem est clari & expediti: Quod spo-  
liatus ante omnia sit restituendus, omni omninò ex-  
ceptione, quaecunque etiam illa fuerit, postposita,  
c. 1. Extr. de restit. Spoliat. l. si quis ad se fundum. C. ad L. Ful.  
de vi public. Anton. Gabr. Rom. com. concl. lib. 5. tit. de restit.  
spol. conclus. 1. num. 1. cum seqq. Pruckm. conf. 36. num. 1.  
latè & nervosè Herman. Vult. conf. 22. num. 82. vol. 3. inter  
conf. Marpurg.

QUARTO, certum & indubitatum est, sententiam  
latam condemnatoriam & restitutoriam per præ-  
tensam interpositam appellationem non posse su-  
spendi, multò minùs annullari, etiam ex eo, quòd  
spolium hoc factum sit lite jam pendente, & post de-  
creta & insinuata mandata pœnalia de non turban-  
do, illaque mandata in rem judicatam transie-  
rint.

Nam si violentia in possessorio hoc recuperan-  
dæ est odiosa. Bursat. conf. 282. num. 6. Quod ex illa  
dolus arguatur & proberur, teste Mynsing. cent. 3. obs.  
98. inque delictum incidat. Decian. conf. 37. num. 18.  
vol. 3. Sanè hoc spolium & attentatum, lite penden-  
te factum & perpetratum, longè est odiosius, Clem. 2.  
& ibi gl. de appellat. Quia offendit & jus, & judicium,  
& par-



& partem c. cordi. in fin. de appellat. in 6. Et concludunt Domini de Rota decis. 25. Quod talis spoliatus post litem motam dicatur malæ fidei, dolosus, & temerarius, imò contemptor juris & Mundi.

QUINTO ex actis judicialibus est clarum & manifestum, quod rei non solum spoliatus, verum etiam attentatus lite pendente, & contra mandata inhibitoria pœnalia commiserint. Cum autem spoliatus attentatus magis sit odiosus. *Vd. in l. naturaliter. §. nihil commune. & ibi Fas. num. 130. Rip. num. 67. ff. de acquir. poss. inque illo nulla obstat exceptio, quo minus attentatus ex officio revocentur, Lancell. de attent. part. 3, c. 24. quest. 1. num. 43. Utiq; etiam à sententiâ super spolio attentato latâ, appellatio neutiquam est admittenda, quod egregiè probat. Lancell. d. part. 3. de attent. c. 28. num. 100. & seqq. usque ad 123. inclus. ubi concludit, hanc opinionem tanquam veriore esse amplectendam.*

Et sanè, si quæstio criminalis, tanquam major & præjudicialis, causæ restitutionis, ob spoliatus principaliter motæ, adjuncta, moram nullam injicere possit restitutioni. *Zanger. de Except. part. 2. c. 9. num. 10. Etiam in præsentis casu nostro exceptiones Reorum petitorium respicientes, & altiorem indaginem requirentes, restitutioni moram ullam, licet majores sint, facere non possunt. Zang. ibid. per c. 1. 2. 3. & tot. tit. Extr. de restit. Spoliat.*

Jure enim decisum & cautum est, Spoliatorem  
Attentatorem non esse audiendum, antequam pur-  
gaverit illud in totum, etiam quò ad fructus, da-  
C  
mna, &



ma, & interesse. *Putens decis. 298. part. 2. Roland. à Vall. conf. 53. num. 25. vol. 1. Schrad. de feud. part. 2. p. 9. princ. sect. 2. num. 129.*

Et hoc eò magis in possessorio hoc recuperandæ, præ reliquis omnibus maximè privilegiato & favorabili, obtinet. *Dd. ad unum omnes in d. l. naturaliter. §. nihil commune.* in quo exceptiones petitorium concernentes invitâ parte alterâ non sunt admittendæ. *d. §. nihil commune. l. 1. §. hujus autem. ff. uti possider.*

**DENIQUE** hoc esse privilegiatum in possessorio recuperandæ, & spoliatoris odio receptum, quod domini exceptio, etiam statim, & in continenti probanda, locum non inveniat in possessorio recuperandæ, testatum faciunt. *Curt. Jun. conf. 275. num. 4. Cephal. conf. 301. num. 11. vol. 3. Rol. à Vall. conf. 1. n. 26. & conf. 6. n. 49. vol. 3. Modestin. Pistor. conf. 50. num. 28. vol. 1. & conf. 26. num. 36. vol. 2.* Imò glossam in *l. si de vi. in fin. ff. de judic.* Quæ vult: quod exceptio domini quæ in continenti potest probari, sit admittenda in omni possessorio, communiter esse reprobata. Baldus notanter ait in *l. 1. in fin. C. de Appellat. Leopold. Hakelm. præceptor meus honorand. in disp. 21. illust. quæst. th. 12. in pr.*

Quibus ita firmatis, non obstant ea, quæ à Re-  
is pro impetrandis processibus, & latiori processu,  
in Camera Imperiali decernendo, in medium sunt  
allata.

Quod enim ad Primam & Secundam rationem  
attinet, ipsa mandata infra sub num. 3. 4. & 5. con-  
trarium liquido docent. Cujus verba hæc sunt:  
Befehl



Befehlen euch demnach ernstlich / darzubey Pden  
Dreissig Thalern/halb vnserm Fisco, vnd halb Klä-  
gern vnnachlessig zuerlegen / weil ihr gedachten  
Klägern zuvor bey euch geduldet/vnd itzo mit ihme  
inn Streit gerathen/Dasß ihr demnach ihn bey Vor-  
riger Gerechtigkeit pendente hac lite, bleiben lass-  
set.

Et fanè cum verba illa : Vorige Gerechtig-  
keit/generalia sint, utiq̃ue non solum de liberâ ali-  
mentorum emptione tantum, verum etiam de omni  
jurium possessione, vel quasi, quam actor ante mo-  
ram litem habebat, & quiete possidebat, verè sunt  
intelligenda.

Verba enim generaliter & indefinitè prolata,  
generaliter & indefinitè sunt accipienda. l. 1. §. ge-  
neraliter. ff. de legat. præst. l. de precio. ff. de public. in rem  
act. l. si finita 15. §. de cæteris. ff. de dam. infect. Sixtin. conf.  
14. n. 1. & conf. 17. num. 9. vol. 2. inter conf. Marburg.

Et iudex, quando generaliter mandat, omnis  
rei, quæ sub genere comprehenditur, meminisse est  
censendus. Alciat, in l. sub pretextu. num. 4. C. de trans-  
act. Baldus ibid. num. 2. Purpur. conf. 289. lib. 1. Natta  
conf. 546. n. 20. lib. 3.

Imò cum Illustrissimus Princeps, illiusq̃ue Con-  
siliarii atrocitatem Reorum inter Christianos hæcte-  
nus inauditam animadverterint, dum mihi meaq̃;  
familix uniuersæ liberam alimentorum emptionem,  
quibus sine homo vivere non potest, modò prorsus  
inaudito inhibebant, illudq̃ue nefandum factum in  
aperto erat omnibus, & facile fuerat conijciendum,  
illos alia leuiora perpetrare non intermissuros, u-  
tiq̃ue



tiq̄ue mandato p̄nali verba generalia. **Vorige  
Berechtigkeit**/ ad in hibendam effrenatam ulterius  
attentandi libidinem fuere inserta.

Ideoq̄ue cum verba semper ad verisimile ac-  
commodentur. *l. semper in stipulationibus. ff. de reg. jur.  
gl. in l. tale pactum. ff. de pact. Tiraquell. in l. si unquam. in pr.  
num. 42. C. de revocand. donat. Sintq̄ue intelligenda, ut  
referantur ad casum, in quo possint & debeant ha-  
bere locum. l. 1. §. Lex Falcidia. & ibi Bart. ff. ad L.  
Falcid. Ruin. conf. 165. num. 10. lib. 2.*

Et hoc eo magis obtinere in iis, quæ connexa  
sunt, vel accessoria, cujusmodi hæc jurium est pos-  
sessio vel quasi. testetur *gl. in c. accusatus. verb. judicari.  
de hereticis in 6. Castrens. Alex. Jaf. & Dd. in l. si certa.  
Cod. de transact. Bart. Bald. Castrens. & Dd. in l. si cum. C.  
de judic.*

Hoc etiam Spolium, à Reis perpetratum, man-  
datis p̄nalibus expressè continetur. Et effectus  
illius ad prædictum Spolium necessario est exten-  
dendus, *Cochman. conf. 30. num. 129. & conf. 38. num. 190.  
& seq.* Quemadmodum etiam in præsentī casu Fa-  
cultas juridica Marpurgens. Magnifica & Clariss.  
verè, justè, & rectè fecit & judicavit.

Proindeq̄ue primam & secundam Reorum ra-  
tiones, tanquam ineptas & falsas, ab hoc veritatis  
& justitiæ agro esse eradicandas, & calamo trans-  
verso jugulandas, intrepidè dicimus & concludi-  
mus.

Multò minùs tertia, quarta, & quinta nobis re-  
orum adversatur prætensa ratio: Quia nullibi de  
ejusmodi pactis & transactionibus apparet. Imò  
certiss-



certissimum est, in rerum natura pactum aliquod seu transactionem, quâ Doctores, quamvis jurisdictioni Senatus Gustroviensis sese non submiserint, à commodo & fruitione Sylvæ Primerianæ arceantur, nunquam extitisse, nec adhuc extare, proptereaque per meram calumniam, & contra conscientiam ab illis transactiones hasce esse allegatas, & processus in Camerâ Imperiali extractos.

Quare processus hi, per manifestam & indubiam sub & obreptionem impetrati, confestim, & sine ullâ cunctatione veniunt annullandi, *text. est in l. etsi legibus. 5. C. si contr. jus. vel util. public. Joan. Gædd. conf. 28. num. 17. vol. 2. inter conf. Marpurg.*

Imò verò posito, sed in fraudem & præjudicium veri nequaquam concessio, quasdam adesse transactiones seu conventiones, quibus civibus Gustroviensium tantum applicatur jus utendi fructu Sylvæ Primerianæ, illæ tamen non possunt in præsentis casu restitutionem spoli impedire, Reosvè à pœnâ 30. thalerorum, per spolium commissa & adjudicata, liberare, utpotè quod omnia illa petitorium judicium concernant, per quod possessorium recuperandæ, & sententiæ super illo latæ, executio non impeditur, per jura supra allegata & adducta.

Deindè etiam cum certum sit, & sine manifesta calumnia negari non possit, quod Ego per totum biennium, Doctor Protasius Marstallerus per integrum octennium, Simon Pauli per sexennium, Gideon Taube per quinquennium, Reis sci-



entibus, volentibus, & justè non contradicentibus commodum & utilitatem Sylvæ Primerianæ liberè perceperint, quamvis prænominatæ personæ simili modo ut ego incolæ tantum sint, sequitur adhuc, vel transactiones & prætenfas conventiones in rerum naturâ non existere, vel Reos scienter & volenter jacturam illarum fecisse, & juri suo, si forsitan tale quod habuissent, purè renunciassè, & id remisissè, ad quod regressum habere, lite jam pendente, nullo modo nullâve ratione possunt.

Cum cuique liceat juri suo renunciare, & illo semel renunciato, non datur amplius ad renunciatum regressus, *Herman. Vult. conf. 22. num. 76. volum. 2. inter conf. Marpurg.* Neminiq[ue] *Stea* consensu, quem quis semel accomm[odavit], revocare, illive contra venire. *l. per fundum. ff. de servit. rust. prædior. Vult. d. consil. 29. num. 77. in fin.*

Utpotè, quemadmodum incivile, hominibus Magistratum gerentibus indecorum, & regulis juris omninò contrarium sit, velle contra factum suum proprium & spontaneum venire, *Vult. ibidem num. 80. per l. si creditoribus. C. de serv. pign. dato. l. filius. C. de revocand. his que in fraudem credit.*

Restituant ergò Rei attentando, & per violentiam spoliatum, singulisq[ue] annis denegatum lignum, quod ex dicto nemore ratione mearum ædium percipere debuissè, & ante perpetratum spoliium quietè, & sine contradic[ti]one ullâ percepi, numerentq[ue] adjudicatam pœnam, & postea eis si libuerit,



buerit, & jure possint, dominium, illius juris, ordinaria juris via mihi adimant.

Teste enim *Bald. in c. conquerenti. Extr. de restit. spoliat.* debet Spoliatus restitui usque ad ultimum quadrantem, tam possessionis quam fructuum & damnorum, adeo, quod si unus nummus deficeret, non teneatur in aliis respondere, quod late profequitur & probat, *Sixtin. conf. 9. num. 1. 5. 6. 7. 8. 9. & seqq. vol. 3. inter consil. Marpurg.*

Et hoc sine ulla contradictione procedere, in hoc perpetrato spolio, cum attentato & violentia conjuncto, supra ostendimus. Quibus addimus *Pückm. conf. 16. num. 50. & seqq. usq. ad fin.*

Sextam de iurisdictione Gufstrovienfium rationem adfert, qui nugatur, aut ineptè cavillatur, imò verò totà mente etiam nihil caligat, qui nec percipere, nec intelligere potest. Doctores Academiæ Marpurgenfium de jure quæfitos, non inspicere & rimari cuncta terrarum orbis loca, sed exactis & actitatis jus dicere solere.

Et fanè, quamvis totum Collegium Facultatis Juridicæ Marpurgensis Magnificum & honorandum, juxta mera hujus hominis insomnia, vel potius calumnias, nemus Primerianum totum (fit venia dicto) perreptaret, omnes illius partes, arbores, clivulos, valliculas, planitudines, per multa tempora penitus inspiceret, & scrupulosius rimaretur, inde tamen quid juris quisq; in illo habeat, habere ve jure debeat, ediscere, aliosque postmodum docere haud posset. Sed illud omne quicquid sit, exacti-



ex astitatis & probatis solummodò esse perquirendum, ipsa naturalis ratio cum jure dicitur & docet.

Ulpiano enim teste gravissimo: Præses provinciæ id sequatur, quod convenit eum ex fide eorum, quæ probabuntur. *l. illicitas. 6. §. veritas. 1. ff. de offic. præsul. Costal. ibid. Covarr. lib. 1. var. resol. c. 1. tom. 2. Menoch. lib. 1. de arbitr. judic. quæst. quæst. 31. num. 5. Pruckm. conf. 2. num. 419. & conf. 8. num. 314. Tiber. Decian. tomo 1. tract. crim. lib. 2. c. 14. per tot. Mascard. vol. 2. de probat. conclus. 949. per tot.*

Et quamvis judex instar venatoris, leporem per loca densa & aprica perquirentis, veritatem omni conatu venari debeat. *Jacob. Marchis. recollectar. lib. quæst. 19. num. 6. Vult. conf. 21. num. 2. volum. 3. inter conf. Marpurg.* Inde tamen non sequitur, quod singulis diebus totam sibi commissam provinciam pervagari, & quid quisque in unoquoque loco juris possideat, & habeat in loco percontari, sed unicuique suum secundum acta & probata adjudicare debeat, *Marchisel. dict. quæst. 19. Menoch. de arbitr. judic. quæst. 9. 10. num. 4. Covar. d. c. 1. num. 4. & 6.*

Et maximè in juribus incorporalibus ocularis inspectio nil prodest, cum illa oculis cerni non possint, sed ex partium probatione sint sumenda. *tit. Instit. de rebus corpor. & incorporal. & ibi Interpr. Schrad. tract. de jur. incorp. §. 3.*

Septima & ultima à Gufstrovienfium Syndico adducta ratio, quare ad commodum & utilitatẽ  
memoris



nemoris Primeriani non debeam admitti; erronea est, & regulis juris contraria, certum enim est, quod totum septennium Gustrovii, tenendo ibidem focum & ignem, habitaverim, muneraq; realia & patrimonialia præstiterim.

Et cum inter incolas & civitates tacitus quasi contractus, ultrò citroque obligatorius celebretur, quo mediante incolæ ad munera realia & patrimoniorum ordinaria, de bonis ibidem situatis præstanda, obligantur, è contra verò Privilegia & bona civitatum, illarumque commodum, usus & emolumentum etiam ad incolas non tantum pertineant, verùm etiam civitates ad defensionem & protectionem incolarum sint obligatæ. *Rebuffus de privil. Scholar. privil. 126. VVesenbec. cons. 40. num. 14. & seqq. Virgil. Pingiz. quest. Saxon. 29. num. 34. post Bald. Castrens. Imol. Jaf. Cass. Jacob. & alios quos ibidem allegant.*

Nullum est dubium, quin & ego cum omnibus aliis incolis, munera realia & patrimonialia præstantibus, sive nobiles & Doctores sint, sive ordinis inferioris, à privilegiis & commodis Oppidi Gustrovii non potuerim arceri; utpotè quod incolæ & cives unam faciant Universitatem. Idcoque eodem jure commodo & utilitatibus pariter & indiscriminatim frui debeant, ne eadem res diverso jure censeatur. *VVesenb. & Pingiz. dd. loc. per jura & Dd. ibid. allegat.*

Nec juvat allegasse conventiones & transactiones, quibus ajunt, incolis denegari commoda hujus oppidi. Quia nondum de ejusmodi conventionibus

D

nibus



nibus constat, etiam in rerum procul dubio non erunt natura. Et licet adessent, tamen præjudicium aliquod mihi generare non possent, Quod ego per totum biennium pacificè, & reis consentientibus in contraria fuerim possessione commodi & utilitatis oppidi hujus, & in specie sæpè dictæ Sylvæ fruendi.

Et juris sit clari & manifesti, quod per annale tempus quis nanciscatur pacificam possessionem beneficij. *Mascard. de probat. volum. 1. conclus. 183. num. 48. ubi num. seq.* affirmat, pacificam possessionem dici, quando quis percipit annuo scilicet spacio omnes fructus, vel saltem majorem illorum partem.

Denique erroneum etiam prorsus est, quod Miser noster Antagonista ad probandam suam intentionem nobis objectet Responsum aliquod Illustrissimi Principis Megapolitani, sub dato **Güstrow 6. Februar. Anno 1578.** ad Nobiles in oppido **Güstrowii** habitantes perscriptum, cujus copiam infra sub **Lit. B.** adscripsimus, in quo tum demum ususfructus sylvæ Primerianæ illis conceditur, quando juramentum civium ante jam præstiterint, insuper etiam onera oppidi in se sustinendo recipiant, & illo evicisse se jam putet, ad forenses seu incolas non pertinere commoda hujus oppidi, & imprimis ususfructus Sylvæ Primerianæ.

Quia uti in cæteris omnibus, sic etiam in hoc toto errat coelo, hoc sibi dum imaginatur, quia licet non inficias eamus, vigore juris Provincialis der **Pölicey Ordnung / sub tit. von wüsten Deusern vnn**  
Ein



**Einkömlinge inn den Stätten Nobiles, & consequenter Doctores, in civitatibus ignem & focum habentes, obligari ad præstationem juramenti civium, allegatumque à reis rescriptum vel responsum etiam eo respicere.**

Attamen ex subsecuto Immunitatis & Exemptionis Diplomate amplissimo nobilibus, & indubitabili sequela Doctoribus postmodum dato, concessio, & à Senatu Gustavo recepto & approbato, cujus copiam sub lit. C. adjungimus luculentissimè apparet, juri Provinciali in hoc articulo ex certa scientia, & potestatis plenitudine, expressè esse ab Illustrissimo Principe Ulrico piæ & sanctæ recordationis derogatum, simulque præteritum rescriptum, quod in eo se fundabat, sublatum. Proindeque Nobiles & Doctores contra juris Provincialis dispositionem à Senatus oppidani jurisdictione penitus exemptos, quod & Antagonista cum Affectis salvà conscientia negare amplius non potest.

Cum Principes Illustrissimi potestatem jura Provincialia quocunque tempore revocandi, & mutandi sibi & successoribus in Epilogo der *Polis cey vnd Land Ordnung* expressis verbis reservarent. Et Juris sit clarissimi: quod Princeps ex certa scientia *wissenschaftlich* aliquid faciens, quod legibus & privilegio concessio adversatur, censeatur illud ipsum revocare, *c. suborta. Extr. de re judic. Matth. de Afflic. in c. unic. in pr. n. 112. qua sunt regal. 2. feud. 56.* Et alias pro regula traditum sit: quod posteriora dero-



gent prioribus, si ab illis discrepant. *l. Divus. §. licet. ff. de jure Codicillor. l. pacta novissima. C. de pact. ubi Jafonus num. 3.* attestatur hanc regulam non solum in ultimis voluntatibus & contractibus, verum etiam in Rescriptis, Decretis & Constitutionibus procedere. *per text. c. ceterum. Extr. de rescript. Dd. in c. 1. eod. tit.*

Senatus etiam Gustrovianus abrogationem illam voluntariè consentiendo approbarit, Proindeque reprobare semel approbatum non possit. *c. quod semel. de reg. jur. in 6. l. in diem. ff. de aq. plu. arc. Cyn. in l. si quis testibus. quæst. 1. ff. de testib. Cravett. conf. 188. num. 5. Sixtin. conf. 8. num. 89. volum. 3. inter conf. Marpurg.*

Quando autem Nobiles & Doctores, Gustrovii habitantes, focumque & ignem tenentes, ratione suarum ædium, & aliorum bonorum immobilium ibidem Situatorum nihilominus, licet forenses sint, omnia patrimoniorum munera ordinaria non minus ac cives, præstiterint hæctenus, & adhuc extra controversiam præstant, utiq; à commodis oppidi hujus non possunt arceri.

Et hoc eo minus, quod incolæ, oppidi Gustrovii, uti hoc supra ostendimus, & alias sine calumnia manifesta negari non potest, omni tempore, usque in præsentem annum, in quietâ possessione illius, & maximè Sylvæ Primerianæ usufructu fuerint.

Et juris si clari & indubii: Quod domini si-  
ve Magistratus cujusq; territorii non possint præ-  
judica-



judicare forensibus, etiam in suo territorio, in his,  
quæ jam acquisiverunt. argumento. l. nemo. 68. §. 1. ff.  
pro socio. Schrader. in tract. de rer. divis. §. 15. num. 44.  
cum seqq. ubi num. 48. & 49. hanc addit Rationem;  
Quod, quemadmodum parentes plus juris habent  
in bonis filiorum jam quæsitis, quam in bonis ex-  
traneorum, §. igitur. Inst. per quas person. nobis acquir.  
simili modo etiam Magistratum plus juris habere in  
bonis subditorum jam quæsitis, quam in bonis ex-  
traneorum. argumento. l. illud. in pr. ff. ad l. Aquil. l. à  
Ticio. in pr. ff. de verb. obligat. gloss. in l. si quis ser vo. & l.  
fn. C. de furt.

Imò cum teste Boerio post Felin. in c. quoniam. ex-  
tra de officio ordinar. Forensis, qui non habitat in  
civitate, possit dici civis, quo ad commoda, si sol-  
vit onera quæ imponuntur pro rebus, quas habet  
in loco. Boer. Decis. 260. num. 10. Multò magis &  
Ego, qui non solum in oppido Guströvii habito, ve-  
rùm etiam onera meis impositis rebus & bonis  
quotannis solvo, privilegiis & commodis civium  
gaudere debeo, Guid. Pap. conf. 61. Cravett. conf. 585.  
num. 27. & conf. 589. num. 13. lib. 4. per text. l. Mani-  
festissimi. 22. §. sed cum in secundam. 3. C. de furt. & ser.  
corrupt. Vincent. Honded. conf. 10. num. 23. 29. & passim  
volum. 2.

Cum secundum naturam sit, eum sequi cujus-  
que rei commoda, quem sequuntur incommoda,  
l. secundum naturam. 10. ff. de reg. jur. Cothman. conf. 9.  
num. 93. Reuf. conf. 13. num. 20. lib. 2. c. qui sentit. 55. de  
reg. jur. in sexto.

D 3

Et hoc



Et hoc in præfenti casu maximè procedit, ubi circa commodum & incommodum est per omnia par ratio, & personarum suscipientium commodum & incommodumabilitas, nullaque juris ratio non solum non obstat, sed potius prædictam. l. secundum, 10. etiam in casu nostro confirmat.

Et sanè cum forenses & incolæ in oppido Gustavovi, uti Doctor Protasius Marstallerus / Johannes Sanitze Nobilis, Christophorus Mörder / Johannes Engelle / Henricus Danckwart / Simon Pauli. Hardingus Petri / Martinus Boeckelius, Gideon Taube / Joachimus Sandow / &c. toto incolatus tempore per 10. 20. 30. & plures annos usque ad mortem in quietâ & indubia fuerint, & viventes adhuc sint possessione vel quasi omnis commodi & privilegiorum illius, & in specie ususfructus & utilitatis Sylvæ Primerianæ, utique & Ego nec potui nec debui de facto & attentando illis spoliari.

Cum privilegia & bona civitatis non solum ad cives, verum etiam ad incolas pertineant. Uti hoc disertis verbis tradunt & docent. *Bart. in tract. de repressal. quest. 5. num. 1. Castrens. in l. omnes populi. num. 10. ff. de just. & jur. Chassa. in consuet. Burgund. rubr. 3. §. 7. num. 7. & 8. VVesenb. cons. 40. num. 14. vol. 1. & alij plures.*

Et quidem eo minus, cum & ego in certa & indubia



dubia cum reliquis incolis fuerim possessione privilegiorum, & omnis commodi hujus Gustrovii oppidi, Proindeque Meum quod erat, & quiete possidebam, sine facto mihi auferri non debuit. *l. id quod nostrum. 11. de reg. jur.* Ideo, quod nemo in vitus re sua carere. *l. nec emere. C. de jure delib.* possessioneve sua vel quasi, ante causæ cognitionem, & quidem plenam decedere cogatur. *l. 1. C. si per vim. l. fin. C. de rei vindicat.* imò ne simplici quidem turbatione quis debeat in sua possessione vel quasi turbari, quantum vis injusta illa esset. *l. 2. ff. uti possidet. eleganter Reg. Sextim. conf. 9. num. 115. & seqq. vol. 1. inter conf. Marpurg.*

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius elucescere puto, quod non solum pacifica & quiete possessione utendi fruendi nemoris Primeriani commodi à Reis fuerim Spoliatus, verum etiam quod illi ipsi lite pendente, & contra Mandata pœnalia, neglecto & juris ordine seposito violenter & attentaverint, spoliūque attentatum contra tot claras & manifestas omnis juris prohibitiones commiserint,


Exindeque Reos nullo modo, nullave ratione cum effectu beneficio Appellationis uti potuisse, nec adhuc ad latiores processus in Imperiali Camera esse admittendos, sed potius per manifestam, & exactis notoriam sub & obreptionem impetratos processus esse cassandos, & in pœnam temerè appel-



appellantium, rectè & merito suo condemnan-  
dos.

*Et hoc juri æquitatiq; consonum esse ju-  
dico, interim tamen meliores rationes  
adferenti cedens.*

Joachimus Junglaus  
J. U. Doctor.



Sequuntur censuræ &  
subscriptions Illustri-  
um aliquot Academi-  
arum, & præstantium  
Jureconsultorum.


COLLE-



COLLEGII FACULTA-  
TIS JURIDICÆ ILLUSTRISS. ACA-  
demie MARBURGENSIS censura &  
subscriptio.

**N**OS Decanus, & ceteri Doctores Facultatis  
Juridicæ in Academia Marburgensi, supe-  
rius responsum, nuper nobis oblatum, diligen-  
ter legimus, & accuratè examinavimus, e-  
usq; decisionem juri & æquitati esse consentaneam  
conclusimus: atq; hæc eò magis, quod ex Actis in pun-  
cto Sylva & Primeriana apparet, Reos post appellatio-  
nem ad Cameram Imperialem interpositam, ad judi-  
cem priorem, à quo appellârant, rediisse, & sententiam  
à quâ appellârant, in prædicto puncto coram eodem ex  
capite nullitatis, exhibitis 9. Octob. Anno 1607. ex-  
ceptionibus nullitatis impugnare cepisse, quo ipso tam-  
esi de Appellatione proposita in eventum protestati  
sint, eam deseruisse intelliguntur. In fidem Facultatis  
nostræ sigillum apponi jussimus. Actum in Consilio  
Collegii nostri ultima Januarii, Anno à nato Chri-  
sto Domino & Servatore nostro 1609.

Locus



figilli.

E

COLLE-



COLLEGII FACULTATIS JURIDICÆ  
in illustri Salana subscriptio &  
approbatio.

